Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25961
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uite eterne. Sequitur. Dimittere confractos in remissionem.
predicare annum domini acceptum. et diem retributionis. Id est qui
uincti sunt laqueis diaboli propter peccata. sed in confessione
et penitentia tribulati sunt corde et humiles spiritu. gementes
mala sua. his uenit Christus remissionem et libertatem uinctis perdo
nare. et hoc est annum domini predicare. diabolicam soluere serui
tutem. uite ianuam aperire. et diem extreme retributionis predica
re. in quo unicuique reddet secundum opera eius. Et cum complicuisset
librum. reddidit ministro et sedit. Bene stans quidem legit.
sed libro reddito resedit. quia stare operantis est. sedere quiescentis
uel iudicantis. Nam qui salutis nostre operatione stabat. in dis
cussione operum nostrorum sedebit. et qui pro nobis iudicari uenerat.
nos iudicandos adueniet. Quapropter operemur nostram salutem
quam ille prior operatus est. et non simus beneficiorum eius ingrati. qui nos in
adoptionem filiorum assumpsit. et in gremium patris de male sua
sortis iure transfudit. Ademit seruitutem. addidit libertatem
et antique obprobrio maledictionis noua dissoluit gratia be
nedictionis. et durum cyrographi debitum misericordie cautio
ne deleuit. et hostem prior deuicit. armaque nobis milicie reliquit.
Quapropter karissimi simus cooperatores spe salutis nostre. Seruemus illi
innocentiam. et ille nobis reddet gloriam. Si nos illi seruicium
prebemus. ille est imperator legionum. Ideo eius castra non relinquamus.
et ad uexillum uictorie illius conuolemus. gestantes iugiter in
fronte stigma triumphi eius. in quo fractus est inimicus. et
nos amici deo facti per ihesum christum dominum nostrum. qui uiuit et regnat
in secula seculorum. Amen. DOMINICA IIII. POST EPIPHANIAM. IN ILLO TEMPORE.
LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHEUM.

Cum descendisset ihesus de monte. secute sunt eum tur
be multe. Et ecce leprosus ueniens. rogabat eum dicens.
Domine si uis potes me mundare. Et reliqua.

OMELIA ORIGENIS. DE EADEM LECTIONE.